



36a

E libris
gymnasio Mauritiano Magdeburgensi
a venerabili
Carolo Funk
theol. doctore et gymnasii direttore
a. 1857 hereditate relictis.

G. f. 171.

ECLOGA
 QVA
 FVNVS PVBLICIS OBRVTVM LACRIMIS
 TYTIRI
 HOC EST

PLVRIMVM REVERENDI DOCTISSIMI
 AMPLISSIMIQVE VIRI
**M. GEORGII BASILII
 BRINCKMANN**

ILFELDENSIS ECCLESIAE ANTISTITIS
 PRAECLARISSIME MERITI

QVVM DIE XVIII KALENDAS DECEMBRIS
 ANNO CHRISTIANO clj l5 cc xxxv

MAXIMO OMNIVM DOLORE DEFVNCTVS ESSET
 COGNATI SVI CARISSIMI ET MAXIME
 HONORANDI

IVSTIS ET PIIS DEPLORAT QVERELIS
 IOANNES MARTINVS RIEDEL
 LYCEI ILFELDENSIS PRORECTOR

NORDHVSÆ

LITTERIS COELERIANIS

AK



DAMOETAS ET BATTVS.

MONTIBVS in vastis pastores TITYVS omnes
tantum vincebat, quantum Paestana roseta
exsuperant salices lentas gratasque capellis.

Pauit oues, strauitque lupos non impiger ille:

Arcadiae Pani poterat certare canendo.

Huius quum morbus validos adffigeret artus,

et lecto tandem corpus teneretur onusto,

surgebat clamor, non proficiente medela.

Ergo TE siluae, TE, TITYRE, pascua lacta,

TE fontes etiam, TE nostra arbusta vocabant.

Sed TE crudeli mors tristic funere mersit,

atque gregi rapuit solatia maxima maesto.

Flere illum lauros vidi, illum flere myricas.

At cantare ipsum pastorum fistula saepe

certaui. Sic omne nemus, TE, TITYRE, plenum.

Vel quae Damoetas, cui, TITYRE, carus amicus,

teum Batto cecinit, memini bene carmina dicam.

DAMOETAS. Ergo TE potuit rapere inclementia mortis

immitis, solus qui gaudia, TITYRE, nostra?

Quo properas? ah siste gradum! TVA, TITYRE, turba

TE reuocat; TVVS hic Damoetas, TITYRE, voce

TE reuocat maesta, qui TE desiderat vnum.

En tenera vt vitis iunctas amplectitur vltimos,

et sic iam boream miscentem proelia spernit,

sustinet atque suas in apricis montibus vuas:

TITYRE, non aliter TE nostra innixa iuuentus

semper erat, nostris nam TV solatia rebus.

Vt queritur maestus rapta sibi coniuge turtur,

et miseros casus tristici meditatur in umbra:

Vtque, vbi fata vocant ad flumina torta Macandri,

concinat albus olor morientia guttura soluens;

Sic ego pinifera solus sub rûpe recumbens
TE loquor, et carmen funestum fistula cantat.
Saepe equidem volui lacrimas suspendere tristes,
Moenalis versu referens aut iurgia Codri,
aut etiam celebrans nostri Corydonis amores;
sed iunctae semper cecinerunt, TITYRE, auenae,
pulsâ sed et digitis TE, TITYRE, fila locuta.
Non ita deplorat Titonia Memnona natum,
cum manibus roseis aequales euocat Horas,
et lacrima innumera languentes imbuat herbas;
omnibus vt TVA mors defletur, TITYRE, acerba.
Immemor herbarum grex luget tristia fata,
cui non umbrosae siluae, non mollia possunt
prata mouere animos, non qui per saxa volutus
Electrum superans amnis petit aequora campi.
Ingemuere etiam pinus et populus alba,
monticulacque omnes, queis TITYRVS ore canoro
edere consuevit diuinæ oracula mentis.
Sed Nymphae calthis miscentes lilia flauis,
nectentesque rosis florem bene olentis anethi,
atque breui flentes signarunt carmine saxum:
TITYRVS HIC SITVS EST OVIVM FIDISSIMVS ILLE
CVSTOS, HIS SILVIS CLARVS, QVI CARMINA DIXIT
TALIA, QVALE SAPOR FESSIS AD FLVMINA; QVALE
LANGVIDA PRATORVM FVGIENS PER FLVMINA RIVVS.
BATTVS. Iam celebrat felix caelestia TITYRVS arua,
fideriisque choris immixtus caerulea templa
pulsat, stellantis limen miratur olympi.
Ergo alacres montes, siluas et rura voluptas
pastoresque tenet: Nymphae Dryadesque puellae
ludunt in pratis laetae, ducuntque choreas,
luxuriantque greges spargi per splendida prata.

Et licet hos alios maestos dolor vrgeat ingens,
exhilerant ipsos tamē otia maxima, fidus
queis fruitur custos per ameni pascua caeli.
Talem mercedem meruit TVA, TITYRE, virtus,
qua reliquos tantum superasti, TITYRE, quantum
excedunt dumos densos, corylosque cupressi.
Vt segetes ornant bene cultu et pingua rura:
vtque decent hortos fructus qui pondere ramos
curuant, concussaque pluunt de vertice, tristes
Iuppiter increpitans ceu pulset grandine terras:
TV decus omne TVIS, TV splendor, TITYRE, cunctus.
Infirmas pecudes humeris gremioque tulisti
fedulus, atque gregis curasti vulnera quaeuis
vt languens oleo, sic tristi corpus amurca.
Irriguos ouibus monstrasti, TITYRE, fontes,
vngula quo numquam turbaberat vlla liquores.
Ergo cepisti iam praemia digna laborum,
nam venere Tibi caelestes obuia turba
fratres, atque viam blandis sparsere ligustris,
queis immistus erat et apex stellatus amelli,
TEque ita duxerunt ad puleri pascua caeli.
Hic riguis semper rident Tibi lilia campis,
fonticulisque anemon dat terra fugacibus vda,
atque Therapnaeo natos de sanguine flores.
Desutata fluunt hic semper balsama rara:
Virgineosque greges hic CHRISTVS ducit in agros.
Hic hymnus semper cantant, et carmina laeta,
concentu parili celebrantes Numina diua,
omnia dum populo respondet myrtea filua.
Hic habitant animae felices herbida tecta,
hic semperviuēt geniales TITYRVS annos.
Haec dum pastorum modulatur fistula, serus
fol iuga demit equis, et claudit vesper olympum.

78 M 428

Sign. (188) fehlt bzw.
koll. nicht vergeben!




Sb.

1077

R.40






ECLOGA
 QVA
 FVNVS PVBLICIS OBRVTVM LACRIMIS
 TYTIRI
 HOC EST
 PLVRIMVM REVERENDI DOCTISSIMI
 AMPLISSIMIQVE VIRI

M GEORGII BASILII
 NCKMANN

NSIS ECCLESIAE ANTISTITIS
 AECLARISSIME MERITI
 DIE XVIII KALENDAS DECEMBRIS
 NO CHRISTIANO clj l3 cc xxxv
 NIVM DOLORE DEFVNCTVS ESSET.
 I SVI CARISSIMI ET MAXIME
 HONORANDI
 IS ET PIIS DEPLORAT QVERELIS
 NES MARTINVS RIEDEL
 I ILFELDENSIS PRORECTOR

NORDHVSAE

LITTERIS COELERIANIS



AK